



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita B. P. Ignatii Qui Religionem Clericorum Societatis Iesv instituit

Ribadeneyra, Pedro de

Ipris Flandrorum, 1612

17. Radij quidam sanctitatis è facie eius emica[n]t, donoque prophetiæ
ornatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45048

despicientiam sui ipsius propter Dei gloriam, suscipiendos pro salute animarum labores, orationem, domandas libidines, appetitiones cohibendas, & ceteras eiusmodi virtutes, ut magni ducebat, ita frequenti sermone vsurpabat. His enim sancti sumus, & amicitiam cum Deo iungimus, illa verò quamuis in speciem sublimiora nobilioraque sint, somnia sunt tamen, neque perpetua sanctitatis & diuinæ gratiæ argumenta.

CAPVT. XVII.

Radij quidam sanctitatis è facie eius emiscant, donoque prophetiæ ornatur.

NEque verò huius B. Patris anima, tantum cælesti luce de qua diximus, illustrabatur, verum etiam aliquid ex eius lucis plenitudine sic redundabat in corpus, ut etiam nonnulli os eius luce refulgere, & ex eo radios emitti sæpe conspexerint. Hoc se vidisse Barcinone confirmavit Elisabetha Rosella, cum Pater, ut supra meminimus, in gradibus altaris ederet inter

ret inter puerorum greges: hoc item Ioannes Paschalis filius Agnetis Paschalis, qui diu Patrem in eadem vrbe Barcinonensi domi suę benignè fouit. Idem Loyolæ multi notarunt, cùm eò Lutetia redisset & ad hospitalet domum diuertisset: denique & Romæ. B. enim Philippus Nerijs spectatæ vir Sanctitatis, auctor oratorij venerabilium sacerdotum B. Mariæ Vallicellæ, qui vrbi Romæ incredibiliter profuit, & quem probè noui, B. P. Ignatio coniunctissimus erat, ad eius consilium in dubiis rebus confugere solitus cuius & cum angeretur animo, vel solo recreabatur aspectu. Is ergo dictitabat, B. Ignatij caput quasi celestibus quibusdam radijs coruscare solitum, ac totum esse luminosum. summum diem obiit B. hic Patet septimo Kal. Iun. anno c10. 10. xcv. quo die anniuersaria eius memoria à filiis celebratur. Sed illud commemoratione dignius quod sibi accidisse testatus est Alexander Petronius in vrbe Roma celebris medicus & B. N. Patris amantissimus. Cùm enim ille graui morbo laborans

laborans à B. Ignatio inuileretur, ingresso eo in obscurum cubiculum & tenebricosum, clausis fenestris omnibus, nouo id derepente lumine refulsit. Miratus autem Alexander atque à coniuge sciscitatus vnde ea lux diffusa, repente conualuit, beneficiumque recuperatæ valetudinis præsentia B. Patris attribuit. Ac tum quidem rem silentio pressit, simul tamen vt Pater hanc vitam meliore commutauit, eam sparsit in vulgus, quam ingens admiratio sanctitatis & fama B. viri est consecuta. Similiter & alibi sæpe visum hoc lumen naturam superans ex eius ore diffundi. Ioannes verò Paschalis frequenter eum Barcinone conspicatus tribus quattuorue palmis à terra sustolli, cum diuinum numen oratione placaret ac diceret: O Deus, ô Domine, ô si te homines nossent!

Nec minus à Deo prophetiæ donum accepit & diuina luce perfusus multa antequam euenirent prædixit. Cum Minoreffa decessit Hierosolymã profecturus, Ioannes Paschalis tunc agens ætatis annum *XIIX.* itineris comitem se præ

se præbuit, sed eum Pater redire iussit, matrique opem præstare: matrimonio iunctum iri prædixit, suscepturumque liberos quorum caussa multis afficeretur incommodis, ad quæ patienter ferenda hortatus est: aliaque multa prænunciavit, quorum veritatem comprobavit euentus.

Cùm Parisiis venisset in Belgium, precariam pecuniam sustentandæ vitæ gratia vt diximus quæsiturus, & à quibusdam mercatoribus inuitatus Antuerpiæ cum iis epularetur, adolescens quidam inter eos aderat modicum seiunctus à ceteris, Petrus Quadratus nomine, Medinæ Campi natus; in quem coniectis oculis, iussit eum propius accedere. Cùm enim aiebat, in posterum optimè is esset de Societate I E S V meriturus, par esse vt amicitiam iam tum coirent, seque magnopere Deo sciret obstrictum, quòd se ad constituendum olim Societati I E S V collegium delegisset. Quod vt multis annis ante iacta Societatis fundamenta prædixit ita re ipsa veram prædictionem fuisse compertum est.

Longo

Longo siquidem interuallo Petrus ille
Quadratus & Domina Francisca Man-
ga coniux eius, Medinae Campi Socie-
tatis collegium ædificarunt.

Cùm Vicentia profectus P. Simonem
Bassani vehementer ægrotantem
comite P. Fabro inuiseret, eo relicto
deflexit è via, vt pro ægri salute Deo
supplicaret, interea diuinitus intel-
lexit illum ex eo morbo minimè mor-
riturum, idque P. Fabro indicauit. Vt
igitur ad ægrum peruenit, eum am-
plexus; Nihil metuendum, inquit,
frater mi Simon, nec enim iam mor-
riere: quibus dictis repentinò sani-
tatem recuperauit, vt ipsemet magis-
ter Simon sæpè testatus est, idque
Faber P. Layni, Laynes autem mihi
renunciauit. Bassani quidam è sociis
institutum vitæ suæ in dubium reuo-
carat, iamq. secum deliberabat fatiusne
foret viro cuidam in solitudine vitam
agenti & innocentie laude præclaro
familiaritate coniungi, animumque
ad contemplationem applicare, an B.
Patri adherere & animos proximo-
rum iuuare. Cùm adiret ipsum solita-
rium

rium hac de re consilium capturus, formidolosis quibusdam visis inter eundem territus ac perturbatus, domum in qua Ignatius erat regressus est: qui lumine illustratus prophético intimas illius cogitationes animaduertit, & Modicæ fidei, inquit, quare dubitasti? Hac ille voce confirmatus in cepto genere vitæ ad mortem usque perstitit. Anno CIO. IO. XLI. Stephanus Baroellus natione Italus institutum Societatis Romæ complexus est, paucisque diebus adeo graui periculoque morbo oppressus, vt de eius vita pæne esset à medicis desperatum. Interim B. Pater ad D. Petri montis aurei se contulit sacrum pro illius salute facturum, quem de more comitatus sum, eique rem diuinam facienti operam præstiti. Sacrificio gratisque Deo peractis, Stephanus, inquit Pater, non morietur nunc quidem, atque ille continuò releuari coepit ex morbo. Tum profectus in Lusitaniam, atque inde in Italiam reuersus annos complures in Societate vixit, in eaque tandem religiosè & laudabiliter vitam expleuit.

expleuit. Doctor Arrouira Barcinonensis, vir honoratus & nobilis qui postea apud Philippum II. Hispaniarum Regem, pro sua republica legatione functus, B. Patre familiariter, ut mihi dixit, usus est. Hic cum ab Ara Cæli veniret, obuiam Patri factus est cum litteris à Domino Francisco Borgia, duce Gandiæ ad se missis, qui tum regnum Catalauniæ pro Rege gubernabat vxore etiam tum incolumi. Cum de hisce litteris inter se agerent, noris, inquit Pater, harum litterarum auctorem Romam olim venturum ut Societati præponatur. Quæ quidem res tum demum est perfecta, cum vxore defuncta, nostræ Societatis institutum professus, posteaquam multos annos generalis per Hispaniam Commissarius fuisset, tertius ei regendæ magister præpositus est anno CIO. IO. LXV. postridie Kal. Iul. quo die Visitationis Mariæ Virginis beata commemoratio celebratur. Affirmat idem Michael Arrouira se tum cum esset admodum adolescens, & incertus de genere vitæ, matrimonio tãdem statuisse coniungi, sed

sed antequam Patri consilium aperuisset, quod sermonibus differri nolebat, eum præoccupauit Pater: & cogitas, inquit, vxorem, ô quantos suscipies gemitus! quantis exercebere laboribus! Quæ prædictio profecto verissima fuit: & sicut ille mihi priuatim narrauit, ita præsentem Episcopo Barcinonensi testimonio iuratus asseruit.

Simul ac Agnes Paschalis cessit è vita, Romæ de eius morte Pater certior factus est, vt eius salutem Deo commendaret: respondit se priusquam ea de re litteras accepisset, eam mortuam sciuisse & eius animam iam in cælum receptam. Cùm P. Laynes Venetiis à Senatu contenderet, vt eius auctoritate veniremus in possessionem prioratus S. Mariæ Magdalenzæ vrbis Patauij, quem Paulus III. collegio Patauino adiunxerat, rem difficultate plenam, & cum potentibus aduersariis gerendam vidit, cumque pæne rei perficiendæ spem abiiecisset, B. Patrem litteris orauit, vt pro felici successu Deo sacrificium offerret, quòd humanam in eo nihil valituram spera-

speraret industriam. Pater igitur sacris operatus est B. Marię Virginis natali die, Patrique Layni rescripsit his verbis: *Feci quod postulasti, securus esto, neue te res ista conturbet, quin eam pro tuo desiderio factam putes.* Vti ille scripsit ita res voto parem exitum habuit. Nam diei B. Marię natalis octaua conuenit Senatus, & vno omnium pene consensu nobis est addicta possessio maximè mirantibus iis qui in illius reipublicę statu versati sunt. Insuper vti P. Laynem sibi in administratione successurum prædixerat, ita ipse eo mortuo ad gubernacula regendę Societatis accessit. Anno MD:IO:LV. Patres Hieronymum Natalem & Ludouicum Gonsalem de Camera, nauigaturos in Hispaniam iussit in nauem Genuę sine mora conscendere, asseruitque secundis ventis vsuros, quod & contigit licet hiems esset maritimos cursus assueta præcludere. Collegio Germanorum extrema inopia sine spe rei melioris laborante eius è sacro purpuratorum collegio patroni, penitus deficientes animum, monuerunt Patrem,

arcm,

trem, vt re tam desperata ab eius curatione desisteret, quibus ipse respondit, eam nullo modo curationem se velle deserere, venturum aliquando tempus quo collegium rebus omnibus necessariis esset instructum. Vati-
cinationi respondit euentus: nam ei Gregorius XIII. Pont. Max. optimè prospexit, perpetuosque prouentus attribuit. Eodem modo cum Romano Societatis Collegio actum est: cum enim in eas coniectum esset angustias, vt inopia premeretur earum rerum sine quibus vix, aut ne vix quidem hominum vita sustentatur, nec humana ratio ei consulendi succurreret, Deo supplicauit Pater, tum significauit quibusdam è Patribus, nihil opus esse vt quisquam angeretur, paucis mensibus Deum ei subsidio futurum, vt reuera fuit, & nonnunquam admirabiliter, quoad idem Gregorius honestis id pensionibus vtcunque stabiliiuit. Alia generis eiusdem multa prædixit, quæ omnia sicut prænu-
ciarat euenerunt, sed ea, ne longior sim, volens libensque prætereo.